



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

**Parisiis, 1644**

XXIII. De poenis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15490**

ANNO  
CHRISTI  
1440.

## XXII.

Vsurarum voraginem detestantes, inhibemus omnibus Christi fidelibus nostræ diocesis, tam clericis quam laicis, ne pecunias ad vsuras mutuent, aut in impignorationibus vltra sortem aliquid ex pacto recipiant, nec emptiones detestabiles faciant, aut alios quoslibet actus vsurarios exercent. Quod si quis contra fecerit, vltra pœnas iuris communis & Concilii prouincialis Saltzburgensis, subiaceat solutioni decem libras denariorum vsualium irremissibiliter soluendorum ad fabricam ecclesiæ, aut in vsus pauperum, iuxta nostrum aut iudicantis nostri nomine arbitrium, conuertendos. Inhibemus insuper sub excommunicationis pœna vniuersis prælatis, decanis, plebanis, & ceteris quibuscumque religiosi & sæcularibus, ne aliquem dictis criminibus manifeste reum, satisfactione non præmissa, ad quam tamen eosdem induci volumus, modis possibilibus ecclesiasticæ tradant sepulturæ.

## XXIII.

Volumus & mandamus statutum diuæ memoriæ Guidonis legati de latere per nostram diocesim promulgari & publicari: quo cauetur, quod quicumque personam ecclesiasticam vulnerauerit enormiter, captiuauerit vel occiderit, ipso facto ea quæ ab ecclesia, nomine feudi, iure censuali, vel in emphyteusin, aut alias quocumque nomine tenuit, perdat penitus & amittat, in vtilitatem ecclesiæ conuertenda. Adiicimus quoque, quod in illa parochia, in qua canonicum ecclesiæ cathe-

*Concil. Tom. 33.*

XXXX ij

dralis capi contigerit vel detineri, vel alium in dignitate vel personatu seu clericatu constitutum, donec liberetur & absoluator, cessetur generaliter a diuinis, salua satisfactione eidem debita impendenda.

## XXIV.

Quia nonnulli sacerdotes sæculares vel religiosi in pœnitentia frena laxare, & extra terminos sibi positos auctoritatem in casibus superioribus referuatis præsumere ausu temerario referuntur, sub excommunicationis pœna inhihemus, ne quisquam sacerdotum, regularis vel sæcularis, nostræ diœcesis quemcumque sibi confitentem in casibus sedis apostolicæ de iure vel consuetudine referuatis absolvere præsumat, nisi habito desuper eiusdem sedis indulto & mandato speciali, nec etiam in casibus similiter de iure aut consuetudine episcopo referuatis aliquem absolvere attentet, præsertim excommunicationis maioris vinculo innodatum, hæreticum, Iudæum, fautorem alterius eorundem, laicum prædicatorem aut auditorem eius, spoliatorem alicuius dotis ecclesiasticæ, aut \* sacerdotes, maxime in agone laborantes, aut temerarium occupatorem bonorum ecclesiæ, depopulatorem agrorum, vinearum & hortorum, incestuosum, fornicatorem cum sacramentali, homicidam, etiam casualem, publicantem confessionem sibi factam, peccantem contra naturam aut cum brutis, sacrilegum, incantatorem seu incantatricem, præcipue cum sacramentis, sacramentalibus, vel ossibus mortuorum, prolis oppressorem, etiam a casu incendiarium,